

POISONING IN ROME (331 B.C.) (8.18)

Livy relates the tale of a maid who promised the aedile Fabius Maximus that if given immunity she would reveal the cause of a series of mysterious deaths among leading citizens. Her testimony led to the discovery of twenty *matronae* brewing poison. Ultimately 170 women were convicted. The matter was considered a prodigy and to remedy the situation a dictator *clavi figendi causa* was appointed.

- 1 Foedus insequens annus seu intemperie caeli seu humana fraude fuit, M.
- 2 Claudio Marcello C. Valerio consulibus. Flaccum Potitumque varie in
- 3 annalibus cognomen consulis invenio; ceterum in eo parvi refert quid veri
- 4 sit; illud pervelim—nec omnes auctores sunt—proditum falso esse venenis
- 5 absumptos quorum mors infamem annum pestilentia fecerit; sicut proditur
- 6 tamen res, ne cui auctorum fidem abrogaverim, exponenda est.

- 7 Cum primores civitatis similibus morbis eodemque ferme omnes eventu
- 8 morerentur, ancilla quaedam ad Q. Fabium Maximum aedilem curulem
- 9 indicaturam se causam publicae pestis professa est, si ab eo fides sibi data
- 10 esset haud futurum noxae indicium. Fabius confestim rem ad consules,
- 11 consules ad senatum referunt consensusque ordinis fides indici data. Tum
- 12 patefactum muliebri fraude civitatem premi matronasque ea venena coquere
- 13 et, si sequi extemplo velint, manifesto deprehendi posse.

- 14 Secuti indicem et coquentes quasdam medicamenta et recondita alia
- 15 invenerunt; quibus in forum delatis et ad viginti matronis, apud quas
- 16 deprehensa erant, per viatorem accitis duae ex eis, Cornelia ac Sergia,
- 17 patriciae utraque gentis, cum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab
- 18 confutante indice bibere iussae ut se falsum commentam in conspectu
- 19 omnium arguerent, spatio ad conloquendum sumpto, cum submoto populo
- 20 rem ad ceteras rettulissent, haud abnuentibus et illis bibere, epoto

21 medicamento suamet ipsae fraude omnes interierunt. Comprehensae
22 extemplo earum comites magnum numerum matronarum indicaverunt; ex
23 quibus ad centum septuaginta damnatae; neque de beneficiis ante eam diem
24 Romae quaesitum est.

25 Prodigii ea res loco habita captisque magis mentibus quam conseleratis
26 similis visa; itaque memoria ex annalibus repetita in secessionibus quondam
27 plebis clavum ab dictatore fixum alienatasque discordia mentes hominum eo
28 piaculo compotes sui fuisse, dictatorem clavi figendi causa creari placuit.
29 Creatus Cn. Quintilius magistrum equitum L. Valerium dixit, qui fixo clavo
30 magistratu se abdicaverunt.